

# Programm,

mit welchem zu der

öffentlichen Prüfung und Schlusseierslichkeit

des

## Kurfürstlichen Gymnasiums zu Fulda

auf den

26., 27. und 28. März 1860

ergebenst einladel der

Director des Gymnasiums

Dr. Eduard Wesener.

### Inhalt:

1. De periodorum Lituanorum proprietatibus. Von dem Director.
2. Schulnachrichten. Von denselben.

Fulda 1860.

Druck von Johann Leonhard Alth.



DE  
**PERIODORUM LIVIANARUM PROPRIETATIBUS.**

---

**I. Prooemium.**

Multum mihi consideranti cum animo, quam graviter gymnasiorum ceterarumque scholarum, quibus studia humanitatis ac litterarum tractantur, praeceptores soleant conqueri, quod indies fieri rarius videatur, ut puerorum adolescentiumque animi antiquarum litterarum studio incendantur, legentique quae viri doctissimi quotannis ex tota Germania congressi de eadem re multa egerunt, existimare licet, vix unum vel alterum esse dubium, quin quae a discipulis postulentur aegre possint impetrari. Maxime vero cura ac diligentia rationis disciplinaeque grammaticae plerisque minuta videtur esse atque nimis jacere; ita ut, si latine dicendi scribendique facultatem spectaveris, saepe ne mediocre quidquam efficiatur. Cui rei nisi occurretur, rebus nostris maximum incommodum afferri est necesse. Nam quae hisce temporibus vita hominum exculta est, in qua jam ingenio omnia fere pareant, permultarum rerum cognitionem atque usum postulat, earumque disciplinarum numerus, quas tractari percipique opus est, sensim crevit in scholis nostris jamque augeri potius videtur quam minui. De qua re etsi magna disceptatio contentioque et saepe et nuper fuit, tamen, qui antiquam institutionis puerorum simplicitatem restituendam esse etiam atque etiam nunc summo studio contendunt, non multum agere videntur. Utcunque illud est, equidem propter illam causam maxime necessarium esse affirmaverim unum certumque fundamentum et momentum quoddam constituere, quo potissimum animus ad summam eruditionem cultumque perducatur et ita corroboretur, ut quasi ex ingenii palaestra quadam plene conformatus prodeat.

Nam ut plurimorum hominum animi natura sunt comparati, quum in multas diversaque res distrahuntur neque ubi acquiescant et confirmentur habent, multa degustare quidem possunt et attingere, non vero ita ex tali disciplina prodibunt, ut ad quodvis negotium, quod ingenio exercetur, conficiendum commode possint accedere: languidi potius levioresque aut vani insolentesque fiunt. Quae quum ita sint, adesse jam periculum videtur, ne ab liberali eruditione et humanitate, qua gens nostra tamdiu floruit, ad levitatem nomine nostro indignam delabamur, nisi propugnaculum quoddam, ut ita dicam, verae doctrinae constituitur

et constanter servatur. Quamquam neque singuli homines omnes neque cunctae gentes de eis rebus, quae ad cogitandi et argumentandi artem pertinent, ita eadem ratione et disciplina utuntur, ut de omnibus inter eos plane conveniat, tamen sunt certae quaedam rerum notiones et intelligentiae normae hominibus communes, quibus cogitandi intentio omnis et ars continetur quibusque neglectis non facile eo pervenies, ut quaecunque tibi occurrant recte intelligere aut quaerere aut de eis disputare cum aliis possis. Hoc igitur scholae omnes, quibus id agitur, ut adolescentium animi ad politiorem humanitatem informeantur, in eligendo disciplinae fundamento, de quo diximus, spectent oportet, ut habeant quod ad rem suam pertineat.

Quum vero proposito meo alienum videatur esse disputare, num in aliis scholis ingeniorum bene excolendorum aliud fundamentum poni aut alia ars constitui possit, hoc tamen dubium esse negaverim, quin in gymnasiis nostris nullum aliud totius disciplinae fundamentum esse possit nisi lingua latina. Quin etiam, si quis velit ex omnibus bonis artibus, quae ad humanitatem pertinent, unam solam eligere, quae omissis ceteris ad animos adolescentium excolendos adhibeat, haud scio an lingua latina sit eligenda. Nam ut careant e tali schola egressi quarundam scientia rerum, quae ad usum vitae agendique prudentiam pertineant, hoc damnum, dummodo ne invita Minerva ut ajunt in eam intraverint, compensatur mentis illa celeritate, illa cogitandi exercitatione atque adsuetudine, illa sentiendi judicandique quasi maturitate, quae discenda latina lingua potissimum comparatur. Talium potissimum rerum ratione certe factum esse existimo, ut gymnasia, quae in Germania florent, tantam gloriam et auctoritatem assequerentur: quam, si diis placebit, conservabunt. Neque quidquam dicere videntur, qui unum vel alterum ex eis, qui in gymnasiis vix mediocritatem assecuti essent, omnibus bonis artibus insignem fuisse perhibent, aut ex eis, qui pueri excelluissent, non neminem postea minus probatum fuisse. Sed illam rem, quam nunquam futuram esse confido, mittamus.

Ceterum si quis hunc, quem dico, fructum eruditionis percipere in animo habet, id mediocri quadam et facili opera se posse nolit sperare. Nam quum omnes artes liberales ita demum perfectam eruditionem animi comparare soleant, si bene eas percipis atque intelligis et quasi plenam quandam earum cognitionem assequeris, tum litterae latinae ita sunt comparatae, ut plenam animi intentionem, summam diligentiam, assiduitatem, subtilitatem requirant. In hac potissimum arte aut multum proficitur aut nihil.<sup>1)</sup> Quicunque igitur in gymnasio litteras latinas absolvendas quodammodo esse non putet, is haud scio an adolescent-

<sup>1)</sup> cf. Zedritz de disciplina et studio litterarum latinarum, Upsaliæ 1855 pag. 8: „Est enim ad intelligentium difficile, qui fieri possit, ut quibus in rebus mens versetur sine studio et delectatione, sine intentione animi, sine intelligentia, ex eisdem rebus praeclarus aliquis laboris capiatur fructus, qui ita demum percipitur, si propria naturae bona doctrina sovet et in id potissimum ingenia quo tendunt adjuvantur. Quint. inst. orat. 2, 8.“ —

tium saluti melius consuli existimet, si aut aliquam rem vel artem ad humanitatem pertinentem aut unam ex eis linguis, quae nunc florent, eligat, cuius plane compotes eos futuros esse speraverit. Etiamsi non omnia, aliquid tamen assequetur.<sup>1)</sup> At ne quis hoc ita a me dictum esse putet, ut ab adolescentibus tam accurate perfecteque linguam latinam cognosci velim, ut et omnes scriptorum poetarumque romanorum libros vel ex tempore intelligent et oratione latina non solum in scribendo sed etiam loquendo de omnibus rebus possint uti promptissime, sufficere fere mihi ea videntur, quae ex eis normis rationibusque, quae in Germaniae gymnasiiis institutae sunt, postulari oportet. Quarum si universe propositos fines et rationem doctrinamque spectaveris, satis magnam consensionem invenies: omnes enim orationis latinae facultatem ad eum certe finem adduci volunt, ut artem latine scribendi de eis rebus, quae ad ingenium et mores populi romani pertinent, quodammodo promptam, dicendi de eisdem rebus aliquam assequantur.

Non vero, quod ad usum tractationemque ejus rei attinet, eadem est consensio aut idem consilium valet. Atqui quum sit arduum atque difficile omnem hujus tractationis disceptationem tollere finesque et terminos omnibus communes constituere, ita ut vel molestae cuidam diligentiae satisfiat, hoc tamen nobis omnibus, quibus humanitas nostrorum discipulorum cordi est, summo opere enitendum est, ne semper cedentes et sensim hoc vel illud moribus voluntatique aetatis gratificantes atque indulgentes denique et operam et oleum, ut est in proverbio, perdamus. Itaque quemadmodum videndum est, ut fines olim prolatatos, nuper vero magis magisque coartatos, summo studio retineamus, ita intra fines nostros quae proposita sunt religiosissime colamus et exerceamus necesse est. Ad quam rem efficiendam utilissimum est, ut semper nobis proponamus, quid sit, quod litteris latinis tantum tribuamus, quidque, quum eis operam damus, assecuturos nos speremus: ita enim commodissime de earum tractandarum via et ratione convenire inter nos poterit. Licet haec res jam saepissime copiosissimeque tractata sit paeneque absoluta videatur, tamen, ut aliarum rerum, ita hujusce rei id genus est, ut vix possit nimis saepe ad considerandum proponi.<sup>2)</sup>

Quum in scholis nostris omnibus puerorum adolescentiumque institutio ad humanitatem<sup>3)</sup> spectet, hoc est id agatur, ut ingenii facultates excolantur, quibus excultis ad quascunque

<sup>1)</sup> Zedritz l. l.: „Neque vero litteris latinis solis potest acies ingenii acui: acuitur quolibet non illiberalis doctrinæ genere, ita ut quis eisdem studiis et mentis exercitationem et rerum scientiam adipiscatur; id quod in omni institutione quantum judico summum ac praestantissimum est.“

<sup>2)</sup> Cujus interest quemadmodum haec res nostris temporibus existimetur quique libri de ea re scripti sint, plane cognoscere, is evolvat velim eximium illum librum, quem a. 1856 Kühnastius edidit: Die Vereinigung der principiellen Gegensätze in unserm altklassischen Schulunterricht. Rastenburg. Equidem ex eo haud parvam voluntatem fructumque percepit.

<sup>3)</sup> Humanitatem appellaverunt id propemodum quod Graeci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus: quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, ii sunt vel maxime huma-

bonas res efficiendas, quae ingenio subjectae sunt, in vita humana accesserint, eas aptius possint tractare, et qui humanarum rerum finis est, ad eum facilius perveniant, certe in gymnasiis gravissima res agitur, quorum vis latissime pateat quibusque vitae eorum morumque fundamenta ponantur, qui in republica plurimum auctoritate poterunt et gravissimis maximisque rebus praeerunt. Quae quum ita sint, fieri non potest, quin eis politissima humanitate opus sit. Talem autem humanitatem, si rem omnem spectaveris, nulla alia re melius comparari videbis quam cognita ea ratione et modo, quo universum genus humanum ad summam ingenii dignitatem altissimumque gradum eruditionis pervenit. Ne suae quidem gentis humanitatem dignitatemque quisquam perfectius pleniusque cognoscere potest cognitamque amplius excolere quam perspecta et cognita ceterarum gentium humanitate. Ita enim nostram naturam facillime et plenissime intelligemus, quum aliam nostrae dissimilem cognoverimus.<sup>1)</sup> Summa vero cultus humanitatisque uniuscujusque gentis litteris ejusdem continetur. Quodsi igitur animi cultum, doctrinam, mores, hoc est litteras, omnium gentium perspicere atque ut a primis profectae initiis sensim crevissent, dum ad id, quo nunc florent, fastigium pervenissent, memoria et scientia comprehendere possemus, esset illud quidem aptissimum; huic vero est proximum, ut populi romani litteras, quippe quae, quum jam per se sint praestantes, quasi caput quoddam antiquarum litterarum contineant longissimeque per omnes gentes manaverint, accurate cognoscamus. Nam quum summam floris et ingenii antiquitatis ex multis nationibus conceperant et ea, quae animus hominum ad illud tempus per se erat assecutus, complexae essent, per eas velut per pontem quendam totius antiquitatis humanitas et artium splendor ad nos deductus est, maioresque nostri ita earum vestigia secuti sunt, ut qui nostras artes litterasque et fastigium eruditionis plane et ab omni parte perfecte intelligere studeat, ei romanarum litterarum cognitione opus sit. Jam hoc omittere licebit, quod ex omnibus rebus, quibus quaevis intelligendi, cognoscendi, cogitandi vis et facultas acuitur et exercitatur, hisce litteris in aequo poni haud multae possunt.

Quarum cognitio quum duabus rebus contineatur, lingua latina ipsa et eis artibus, quae ad ingenium, vitam, mores omniaque instituta populi romani propria pertinent quaeque artes ad cogitandi agendique rationem adhibitae sunt, apparet, linguae latinae et earum rerum, quae in scriptis monumentis insunt, cognitione opus esse. Neque solum eam ob causam, ut quae scriptis libris tradita sunt cognoscere accuratius possimus, sed etiam, quod nulla re melius omnes populi alicujus proprietates cognoscuntur quam lingua ejus bene cognita, ad eam intelligendam accedere debemus. Duabus igitur de causis linguae latinae scientia ei, qui politiorem humanitatem sibi comparare vult, opus est; quae causae ita inter se conjunctissimi.

Hujus enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homini data est; idcircoque humanitas appellata est. Gell. 13, 16.

<sup>1)</sup> cf. Deinhardt: Der Begriff der Bildung mit besonderer Rücksicht auf die höhere Schulbildung der Gegenwart. Bromberg 1855.

tae sunt, ut altera alterius optimum sit adjumentum. Nam qui eam linguam optime et perfectissime didicerit, is et per se facile populi romani ingenium cognoscet, quum ea, quae libris latinis cognitione digna scripta sunt, commodissime intelligat, et accurate legendis libris latinis linguae ejus scientiam optime adjuvabit. Ita quum neutrum per se solum valeat, alterum alterius ope indiget. Ex qua re quum appareat, quantum linguae latinae scientia ipsa ad animum excolendum valeat, jam non erit difficile his rationibus probatis accuratius viam rationemque, qua ejus doctrina instituenda et tractanda sit, constituere. Nam quum ad cognoscendam unamquamque linguam vocabula, vocabulorum formas, verborum consecutionem, quam syntaxim alii appellaverunt, accuratius cognosci necesse sit, nemo infitiabitur diligentissime vocabula et praecepta grammaticae esse discenda. Nam qui vocabulorum copiam memoria non tenet aut grammaticae praecepta comperta non habet, is latine se bene scire nunquam recte affirmabit; neque qui linguam latinam docet iis rebus neglectis se recte docere poterit contendere. Ita enim haec sunt fundamenta et adjumenta litterarum latinarum, ut, vel si quis velit eam demum ob causam linguam latinam tractari, ut libri ea lingua scripti bene recteque intelligi possint, accurata grammaticae peritia rem suam optime adjuvet. Siquidem in ulla re fieri solet, ut, quo acrius diligentiusque fundamenta jaciantur aut quo planior et ad procedendum aptior via comparetur, eo faciliores laetioresque progressus sint futuri, certe litterarum latinarum fundamento jacto, hoc est grammaticae studio bene culto, ipsae optime expediuntur. Quamvis autem grammaticae studium magno momento ad cognoscendam linguam latinam esse idemque multum ad ingenium excolendum valere existimem, tamen in hujus rei usu et disciplina nimium appeti nolim. Nimium autem appetere et modum excedere videntur qui omnem elegantiam sermonis latini, quam apud latinitatis auctores praecipuos vel invenerunt vel invenisse sibi visi sunt, imitandam esse opinantur. Taedium enim potius quam studium excitabunt, quod et nimia postulant et sensum talium rerum, quarum permultae uniuscujusque arbitrio subjectae sunt, ac si universus omnibusque communis sit, tractant. In hac igitur re modus est adhibendus et semper id tenendum, multum interesse inter philologiam ipsam et studium antiquarum litterarum, quo adolescentium animi ad humanitatem informantur. Si hoc utique agitur diligentissime, ut discipluli per omnes classium gradus praeceptis grammaticae imbuantur, ut vocabulorum copia, quum tempus est, comparetur, ut lectione et scriptionibus apte inter se conjunctis earum rerum usus servetur et confirmetur, facile fiet, ut elegantia sermonis et color sequatur. Quamquam longe abest, ut istam elegantiam, florem coloremque latinitatis, suavitatem quandam orationis despiciam nihilque ei ad cultum animi attribuam. Sed salem potius eruditionis dixerim quam nutrimentum, quo alatur et corroboretur ingenium adolescentium. Quodsi igitur illa ornamenta ad lectionem, qua eorum sensus excitetur, delegaveris, non vero ad eam rationem et disciplinam, quae grammaticorum libris continetur, haud aegre equidem assentiar.

Sed jam non solum eorum librorum, quibus regularis grammaticae quam dicunt praecepta continentur, sed etiam eorum, quibus elegantioris sermonis proprietates exponuntur et sexcenta polite dicendi praecepta traduntur, innumerabilis quidam est numerus; neque desunt qui ejus generis praecepta paene magis ad rem pertinere opinentur quam grammaticae leges simplices. Quumque legendi usus minus commodi ad latinitatem praestare videatur, vix dici potest, quantum momentum isti libri habeant quantasque in angustias latinitatis studiosi homines eis adducantur. Tempus enim lectioni scriptorum latinorum attributum tam breve est, ut lectio ipsa ad scribendi latine et dicendi artem vix pertinere videatur. Fuit illa aetas neque unquam redire eam posse spero, qua ex lectione scriptorum latinorum, hoc est ex optimo fonte et origine totius artis dicendi latine scribendique, homines dictionem hauriebant: nam hisce temporibus sic ad rhetorum artificiosa praecepta confugiunt, ut in eis plane fere acquiescant. Quo fit, ut horrore quodam lectionis imbuti metuentesque, ne in offenditionem aliquam incurvant, non solum multos scriptores, quod ad dictionem attinet, aspernentur, sed vix Ciceronem totum approbent. Certe id student, ut quidquid apud Ciceronem Caesaremve non reperiatur, e sermone latino extrudatur et ejiciatur, cum id potius agendum sit, ut quae latina non sint resecantur et expellantur.

Quid mirum si Livium meum, qui leges, quas isti sibi fecerunt, haud raro perrumpit vel perrumpere ipsis videtur, improbat vehementissime. At ipsi de fructu lectionis utilissimo nimia anxietate permoti detrahunt. Ego vero, qui lectioni permultum tribuam, quamquam Ciceronem plurimorum generum orationis certum atque integrum auctorem habeo eumque maxime legendum esse facile confiteor, tamen Livii ab urbe condita libros diligentissime legi oportere jam diu existimavi. Is enim et historici generis solus est auctor et permagnam copiam rerum cognitione dignarum continet, quibus cognitis ad adolescentium animos excolendos haud parvum commodum comparatur. Quare eo libro, quantuluscunque est, quem abhinc sex fere annis Confluentibus scripsi,<sup>1)</sup> operam dedi, ut, si fieri posset, istum scrupulum evellerem, quum Livianam orationem imitatione esse dignam, et quae de patavinitate opinati homines essent, ea consistere non posse ostenderem. Jam vero quum in eo esset, ut opus nuper inchoatum persequerer, operaे pretium esse putabam sententias aliquot virorum, quibuscum mihi de ea re convenire videretur, colligere. Nam quum in aliis rebus saepe auctoritates multum valeant, tum in hac re, quae arbitrio maxime subjecta est, aliquantum valere debet.

Jam primum omnium Kühnastium appello, cui de hac re mecum plene perfecteque convenire gaudeo, quod Ciceronem esse unum fontem latinitatis posse negat Livioque satis multum tribuit. Quod vero graecismos poeticasque dictiones Livianas vitare docendos esse discipulos dicit, et facile ei assentior neque ipse videtur dubitare, quin vix unam vel al-

<sup>1)</sup> Progr. gymnasii Confluentiae an. 1854.

teram illorum generum dictionem quisquam apud Livium inveniat, cujus similem apud Ciceronem non possimus ostendere. Nam sive graecismos quos dicunt, sive anacolutha, sive ceterarum verborum constructionum alienarum ab eis, quae usitatae dicuntur, copiam enumerari vis, non deerit libellus ab aliquo grammatico conscriptus, qui tibi quae velis suppeditet.<sup>1)</sup> Sed hoc fere apud quosdam interesse puto, eadem res utrum in Ciceronis an Livii scriptis inveniatur: in altero tacent, in altero clamant. Qua re factum est, ut mira quaedam copia vocabulorum, formarum, constructionum verborum, ceterarum collecta a quibusdam viris honestissimis sit, quibus id efficiatur, ut Livium imitari dedebeat. Evidem, qui Ciceroni primum locum deberi existimo, Livium neque ipse contemno neque ab aliis contemni velim, nedum ejus magnitudinem plane elevari aequo animo feram.

Ceterum neque quidquam efficitur ad hanc rem, quum quis universe et generatim juditando agit, neque attinet parvulas singulasque res, quibus Liviana oratio a Cicerone vel Caesare differre videatur, colligere. Altera enim re nunquam ei commoveri poterunt, qui Livium aspernantur, alterius ratione, ut jam supra diximus, vel ad Ciceronem adhibita efficitur, ut, si volumus, Ciceronem ab Cicerone ipso differre demonstremus. Qua via et ratione eo pervenire est necesse, ut intra fines tam angustos contineamur, ut nos commovere recte non possimus. Cui rei prospexit mihi videtur Haasius ea oratione, quam Vratislaviae in eo concilio habuit, ad quod viri doctissimi in eam urbem a. 1857 congressi erant.<sup>2)</sup> Ex qua oratione quaedam afferre commodum est, quibus monemur, ne campum quasi, in quo lingua latina versetur, artioribus quam deceat cancellis contineamus, qua re fieri possit, ut, quum optimum dicendi genus assequi imitando studeamus, multa vel dicamus vel scribamus, quae ab latinitate plane sint aliena. Praeclarissimi viri verba, quae hoc spectare videntur, haec sunt:

Jede Sprache wurde seit dem Wiederaufleben der Wissenschaften als ein fertiges Werk, als ein bestimmter und etwas mehr oder weniger gelungener Ausdruck der Logik selbst angesehen; eine Zeit oder einzelne Schriftsteller repräsentirten die ganze Sprache, und was Andere sich Abweichendes erlaubt hatten, wurde ignorirt oder als Laune und Irrthum des Einzelnen, als Fehler und Licenz beiläufig bemerkt. Diese Manier ist aufs Aeusserste getrieben, seitdem bei der Wiedergeburt der Wissenschaften das lebhafte Streben, die barbarische Latinität des Mittelalters auszurotten, in der lateinischen Grammatik dazu führte, das Ciceronianische Latein für das allein normale zu erklären; und wenn nun allmälig auch Eigenheiten Anderer bemerkt wurden, so geschah es nur, um davor zu warnen, nicht um daraus eine Geschichte der Sprache zu ziehen, und es war daher ganz natürlich, ja

<sup>1)</sup> Quintilianus non semel a quibusdam ait Ciceronem reprehendi. Inst. or. 9, 4, 53.

<sup>2)</sup> Typis descripta est ea oratio in hoc libro: Deutsches Museum. Herausgegeben von Robert Prutz. 1857. No. 51. pag. 897 ss.

wir finden es noch heute ganz ordnungsmässig, den Cicero als Regel oben zu stellen und darunter in derselben kleingedruckten Anmerkung unter den Ausnahmen Plautus, Tacitus, Appulejus in unerwarteter Nachbarschaft der gleichen Verdammniss verfallen zu lassen. Lässt man der Kürze wegen das Unwesentliche weg, so sind es diese Anmerkungen; das Wesentliche ist mithin nicht die Grammatik der lateinischen Sprache, sondern die des Ciceronianischen Stils, diesen nicht als etwas Individuelles und Besonderes gedacht, sondern als das normale Latein überhaupt, und dieses wiederum nicht als Offenbarung des römischen Volksgeistes aufgefasst, sondern als Abbild und Abdruck der allgemein menschlichen.

.... Eine Sprache ist nie fertig so lange sie lebt; sie ist in ununterbrochenem Werden begriffen... Ihre Perioden gehen so unmerklich in einander über, dass die Zeitgenossen, welche den Uebergang bewirken, ihn nicht wahrnehmen; nirgends kann ein Abschnitt herausgerissen, als ein fertiger abgegrenzt und für sich verstanden werden.

Alter prodeat M. Hauptius vir clarissimus, qui haec dicit:<sup>1)</sup> „Asinius otii partem consumpsit in exagitandis eis, quae a claris scriptoribus vitiōse dicta esse putabat, commemorat enim librum eius, quo Sallustii scripta reprehendit Suetonius in grammaticis (cap. 10), Gellius noctium Atticarum X 26 epistulam, quam ad Plancum scripsit, in qua epistula vituperavit, quod Sallustius in primo historiarum maris transitum transmissumque navibus factum transgressum adpellaverat eosque, qui fretum transmiserant, transgressos dixerat: nam transgressus inquit a transgrediendo dicitur idque ipsum ab ingressu et a pedum gradu adpellatum. rectissime autem Gellius nimium translati verbi fastidium contemnit. deinde notum est quod Quintilianus libro XII 1 22 scripsit Asinium utrumque, id est Polionem et filium eius Gallum, vicia orationis quibus Ciceronem laborasse putarunt inimice pluribus locis insecuros esse. denique in T. Livio Polionem quandam Patavinitatem inesse putavisse satis decantatum est. quae patavinitas qualis fuerit multi indagare studuerunt: sed frustra is labor suscipitur. neque enim nos, qui sero vivimus, subtiliora discrimina, quibus urbana oratio a non urbana distabat, intellegere possumus neque quisquam nisi in ea lingua, in qua natus est, percipit, si paullulum peregrini sermonis admiscetur. praeterea cum ea consideramus quae Gellius ex illa Asinii epistula attulit, magnopere verendum esse videtur, ne senex sane egregius sed paulo morosior etiam de Livii oratione fastidiose et cum quadam cavillatione iudicaverit.“ —

Minime vero praetereundum esse M. Hertzium puto, qui sic scribit:<sup>2)</sup> „At quis macrologiam sive perissologiam evitet, ubi ad decantatam illam Patavinitatem pervenerit?

<sup>1)</sup> Ind. lect. aest. univ. litt. Berolin. 1855.

<sup>2)</sup> In prolusione de vita ac scriptis T. Livii Patavini, praemissa editioni elegantissimae ab urbe condita librorum. Lipsiae 1857 pag 16 s.

quam scimus Livio ab Asinio Polione, severissimo aequalium praesertim scriptorum censore, objectam esse teste Quintiliano inst. or. I, 5, 56 VIII, 1, 3, quod vituperium ad ipsam orationem Livianam pertinere, nemo fere negabit, qui locorum illorum nexus animo haud praeoccupato examinaverit neque id me quidem judice dubium esse potest, quin Livio obiciantur sermonis quaedam proprietates a colore urbano, hominibus elegantioribus vere Romanis proprio, recedentes. simili ratione hodie Itali linguae Toscanae puritatem prae reliquis extollunt, quamvis ore Romano hodieque optime eam pronuntiari fateantur, Parisiensesque, postquam vel cum Alsaciensi quodam vel cum Galliae meridionalis incola perparum confabulati sunt, non sine levi quadam malitia ridentes dicere solent: nonne tu ex regione Argentoratensi oriundus? cum pronuntiationis quasdam proprietates a consuetudine urbana i. e. Parisina paululum remotas auribus tritissimis percipientes tum ipsum vocabulorum usum ac delectum ei certe, quae cummaxime inter elegantiores ipsius Lutetiae incolas obtinet, rationi non omnino congruentem. atque ita rem sese Romae habuisse, et ipse Quintilianus demonstrat, qui Patavinitatis Livianae mentione injecta ita pergit: „quare si fieri potest et verba omnia et vox huius alumnū urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata, et plus semel Cicero. veluti ‘quare’ inquit aliquo librorum de oratore loco“ [III, 12, 44.] cum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendit, nihil displicere, nihil animadvertisse possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. didicerat hoc Plautus Umber, didicerat Naevius Campanus, [ib. 45.] iudice Polione non didicit Livius Patavinus. quodsi vero accuratius hoc argumentum persecuturi et Patavinitatem per ipsum Livii opus indagatur, ‘qui est’, quaerimus ‘iste tandem urbanitatis color?’ id quod ex se Brutum quaesivisse narrat idem Cicero, [Brut. 46, 171.] ipsum Ciceronem ad hanc quaestionem ‘nescio’, respondentem inveniemus ‘tantum esse quandam scio’. ‘id tu’, ait Brute, iam intelleges, cum in Galliam veneris, audies tu quidem etiam verba quaedam non trita Romae, sed haec mutari de discique possunt; illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum retinnit quidam et resonat urbanius; — quibus addenda sunt quae sequuntur, quae tamen longum est hic describere. nam satis iam ex his quae transcripsimus apparet, oleum et operam eos perdidisse, qui id, quod summus ille orationis et artifex et magister sensit potius quam definire potuit, enucleare posse sibi visi sunt hodieque videntur.“

Idem laudat, „quae summus historiae conscribendae apud Anglos artifex Thomas Babington Macaulay posuit in elegantissima commentatione de Addisone conscripta“:<sup>1)</sup> nam eodem spectant.

<sup>1)</sup> Welcher moderne Gelehrte kann, wenn er aufrichtig sein will, sagen, dass er in Livius Styl die ge-

Quibus auctoribus prolati ea, quae ipse nuper ad defendendum Livium attuli, aliquantum confirmasse videor. Quare quum eo libro, qualis ratio et usus Livii legendi et imitandi in scholis nostris opus esset, satis dixisse, <sup>1)</sup> jam porro elaborare constitui, ut Livianae orationis proprietates, ut quaeque gravissima videretur, ita accuratissime exquirerem easque cum ceterorum scriptorum maxime Ciceronis dictione compararem: quo Livium ab optima linguae latinae natura non aberrasse ostenderetur. Inter omnes autem res, quae in hac causa occurrunt, nulla magis ad disceptationem pertinere videtur quam periodorum Livianarum ratio. Nam quum ex periodorum forma, qua scriptores utuntur, optime cognosci possit, qualis sit ipsorum natura genusque dicendi, ipsaque totius orationis florem contineant, <sup>2)</sup> sequitur, ut, si quis de alicujus scriptoris proprietate judicare velit, periodos potissimum ejusdem spectare debeat. At harum enuntiationum genus, quod apud Livium invenitur, optime exponi et existimari puto, quum ea ratio et disciplina adhibeatur, qua usi veteres judicium et usum suum fecisse videantur. Nam quum nostrorum hominum judicia de Livii auctoritate diversissima esse nuper demonstraverim, in hac causa, quae nunc agitur, simili modo veteres appellare eorumque ex scriptis exempla afferre commodissimum erit. Hanc viam igitur ingredi constitui, prius ut paucis quae ad nostram causam pertineant de periodis in universum dicam, tum Livianarum periodorum genus et proprietatem exponam et aliorum scriptorum Ciceronis maxime et Caesaris genera conferam exemplisque explanem.

## II. De periodis in universum exponitur.

Quae ratio et disciplina periodorum apud veteres Romanos fuerit, ex Cicerone et Quintiliano, magistris et principibus rhetoricae artis, maxime exquirendum esse appareat. <sup>3)</sup> Qui quum oratorium usum et exercitationem imprimis spectent, ea, quae ad hasce res pertinent, uberrime et copiosissime tractant: minus vero ad earum rationem et disciplinam universam afferunt. Itaque, si quis a periodi definitione proficiscendum esse putat, hanc ex Graecis quaerere oportebit. Quorum haec sunt: <sup>4)</sup> Περίοδός ἐστι λέξις ἔχουσα ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὐτὴν καὶ μέγεθος εύσύνοπτον Aristot. rhetor. 3, 9. — Ἐστι μὲν περίοδος σύστημα ἐκ κώλων ἢ κομμάτων εὐκατάστροφον πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν ὑποκειμένην

ringste Unreinheit bemerkt? — Ausgewählte Schriften gesch. und liter. Inhalts übers. von Steger V, 156 sq.

<sup>1)</sup> Pag. 6. ss.

<sup>2)</sup> cf. Zumpt. gram. lat. cap. 87. §. 810.

<sup>3)</sup> Plura libro haud inutili conscripta sunt hoc: De enuntiationibus ac periodis et latinis et germanicis, edidit Isidorus Täuber. Viennae 1839.

<sup>4)</sup> V. Ernesti lexicon technologiae Graecorum rhetoricae. Lipsiae 1795. pag. 257 s.

ἀπηρτισμένον . . . περίοδος ἀνομάσθη ὑπεικασθεῖσα ταῖς ὁδοῖς κυκλοειδέσι καὶ περιωδευμέναις. Demetr. de eloc. §. 10. s. — Ἐστι μὲν περίοδος κυρίως ἡ τοῦ ὅλου ἐπιχειρήματος ἀναγκαστικὴ σύνοδος καὶ κλείς τρόπον τινὰ καὶ ἀληθινὴ περίοδος, τοῦτο ἔστιν ἡ ἀπαρτίζουσα τὸ ἐπιχείρημα καὶ συνάγουσα. Hermogenes περὶ εἰρ. p. 166. — Περίοδός ἔστι σχῆμα αὐτοτελὲς ὅλον τοῦ ἐπιχειρήματος ἐν ἔργηνείᾳς ὑνθμῷ συντόμως ἀπηρτισμένον. ib. — Περίοδός ἔστι λόγος ἀνευ περιγραφῶν καὶ κώλων συνθέσει αὐτοτελῇ διάνοιαν ἐκφέρων. κώλων δέ ἔστι περιόδου μέρος, ὃ λέγεται μὲν καθ' αὐτὸν, ἀντικείμενον δὲ πληροῖ περίοδον. κόμμα δέ ἔστι τὸ περιόδου ἡ κώλων ἔλαττον. Alexand. rhet. περὶ σχημάτων p. 582. — (Περίοδον εἶναι) σύνταξιν κώλων καὶ κομμάτων εἰς διάνοιαν ἀπηρτισμένην, dicit Aristides περὶ λογ. πολ. pag. 661.

Sed jam satis de Graecis. Quorum definitiones Ciceronem secutum esse, quum ipse rem non definierit, Quintilianus aperte dicit:<sup>1)</sup> „Et quidem Ciceronem sequar, nam is eminentissimos Graecorum est secutus.“ Dicit ille quidem hoc de numeri genere, sed tota res in universum ad periodos spectat. Neque minus illud facile intelligitur ex eis vocibus, quibus Cicero ad significandam vocem periodi utitur.<sup>2)</sup> Verba ejus sunt haec: „In quo (usu) quaesitum est in totone circuitu illo orationis, quem Graeci περίοδον, nos tum comprehensionem aut continuationem aut circumscriptiōnē dicimus, an in principiis solum an in extremis an in utraque parte numerus tenendus sit.“ — κόμματα et κώλα incisa et membra dicit.<sup>3)</sup> Similiter Quintilianus: „Connexa series tres habet formas: incisa, quae κόμματα dicuntur, membra, quae κώλα, περίοδον, quae est vel ambitus, vel circumductum, vel continuatio, vel conclusio.

Adde haec Ciceronis:<sup>4)</sup> „Itaque illi veteres, sicut hodie etiam nonnullos videmus, quum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent, — nam id quidem nuper vel posse vel audere coepimus —, terna aut bina aut nonnulli singula etiam verba dicebant: qui in illa infantia naturale illud tenebant.“ — Quintiliāni haec:<sup>5)</sup> „Diximus igitur<sup>6)</sup> esse incisa, membra, circuitus. Incisum (quantum mea fert opinio) erit sensus non expleto numero conclusus; plerisque pars membra. Tale est enim, quo Cicero utitur, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabat? at egebas. Fiunt autem etiam singulis verbis incisa. Diximus, testes dare volumus: incisum est Diximus. Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus, et per se nihil efficiens. Id enim O callidos homines, perfectum est: sed remotum a ceteris vim non habet;

<sup>1)</sup> Instit. orat. 9, 4, 79.

<sup>2)</sup> Orat. 61, 204.

<sup>3)</sup> Instit. orat. 9, 4, 22. Ib. 62, 211.

<sup>4)</sup> De orat. 3, 51, 198.

<sup>5)</sup> Instit. or. 9, 4, 122—126.

<sup>6)</sup> V. eum locum, quem supra commemoravimus.

ut per se manus et pes et caput: et O rem excogitata! Quando ergo incipit corpus esse? cum venit extrema conclusio. Quem, quae so, nostrum fecerit, id vos ita esse facturos? Quam Cicero brevissimam putat. Itaque fere incisa et membra mixta sunt et conclusionem utique desiderant. Periodo plurima nomina dat Cicero: ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem. Genera ejus duo sunt: alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur; alterum, quod constat membris et incisis, quae plures sensus habent: „Aderat janitor carceris et carnifex praetoris, reliqua.“ Habet periodus membra minimum duo. Medius numerus videntur quatuor: sed recipit frequenter et plura. Modus ei a Cicerone aut quatuor senariis versibus aut ipsius spiritus modo terminatus praestare debet, ut sensum concludat: sit aperta, ut intelligi possit: non immoidea, ut memoria contineri. Membrum longius justo tardum: brevius instabile est. Ubiunque acriter erit, instanter, pugnaciter dicendum, membratim caesimque dicemus.

Licet hisce Ciceronis et Quintiliani verbis non tota ratio et disciplina periodorum latinorum continetur, tamen, ut quae ad nostram rem explicandam pertineant consequamur, satis multum in eis inesse facile ostenditur. Nam quum paulo accuratius ea perscrutatus eris, haec invenies: Periodus est genus enunciatorum partibus apte inter se junctis amplificatum, in quo forma ipsa, concinnitate, compositione verborum numerosus orbis existat. Quod genus ab antiquis Romanis neglectum Ciceronis maxime aetate summa diligentia et arte est exultum eo consilio, ut oratores vel in concessionibus vel in judiciis vel in senatu dicentes hominum animis et auribus quam maximam voluptatem pararent: qua parata eos, qui audirent, facilius permoverent. Ad quam rem efficiendam maxime numerus orationis pertinet, quippe qui aures imprimis afficiat. Ejus igitur genus et rationem et Cicero et Quintilianus copiosissime et diligentissime exposuerunt, ex quorum dictis ea, quae maxime ad rem pertinere videantur, hoc loco perscribere non alienum esse a consilio nostro putō. Nos, qui nostrae linguae artioribus verborum ordinandorum legibus continemur finesque linguae in hac re magis circumscriptos habemus, vix cogitare possumus, quantum Romani collocatione valeant quantumque eo modo ad numerum orationis efficiendum possint. Sunt Ciceronis haec:<sup>1)</sup> Quum aures extremum semper exspectent in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet, sed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet verborum illa comprehensio et tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat. Interdum cursus est in oratione incitator, interdum moderata ingressio, ut jam a principio videndum sit, quemadmodum velis venire ad extremum. Nec in numeris magis quam in reliquis ornamenti orationis, eadem quum faciamus quae poetae, effugimus tamen in oratione poematis similitudinem. Est enim in utroque et materia et tractatio in collocatione verborum. Ternae

<sup>1)</sup> Orat. 59, 201. ss.

autem sunt utriusque partes: verborum tralatum, novum, priscum, — nam de propriis hoc loco nihil dicimus —: collocationis autem **compositio**, **concinnitas**, **numerus**.“ — Ad ea ornamenta explicanda haec pertinent:<sup>1)</sup> „Quidquid est, quod sub aurum mensuram aliquam cadit, etiamsi abest a versu, numerus vocatur“. Et haec:<sup>2)</sup> „Colloca-  
tionis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus neve hiuleus sit sed quodammodo coagmentatus et laevis.“ — Haec vero totam rem fere continent:<sup>3)</sup> „Collocabuntur igitur verba, ut aut inter se aptissime cohaereant extrema cum primis eaque sint quam suavissimis vocibus [haec est **compositio**], aut ut **forma ipsa concinnitasque** [hoc est **forma ipsa concinna**] verborum conficiat orbem suum, aut ut comprehen-  
sio [h. e. **periodus**] numerose et apte [hoc est **aptis numeris**] cadat.“ — Ornamenta illa orationi addita, quae Ciceroni maxime debebantur, non omnibus quidem ejus aequalibus satis probata fuisse Quintilianus identidem commemorat.<sup>4)</sup> Sed mox non solum bona disciplina exercitatis et eruditis hominibus sed etiam multitudini placere coeperunt, neque quisquam resistere potuit.<sup>5)</sup> Qua re factum est, ut repente non longo temporis spatio intermisso totius linguae arte oratoria conformatae illa paeclarata, quam nos admiramus, natura exsisteret; cuius summus artifex Cicero habetur. Itaque, quamdiu erunt homines artium liberalium et humanitatis studiosi, Cicero praedicabitur, et quamdiu oratores publici erunt, existent qui eum imitantur et exemplum sibi deligant. Neque Quintiliano assentiri dubito dicenti:<sup>6)</sup> „Mihi videtur M. Tullius, quum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalitatis ingenii beatissima ubertate. Non enim pluvias, ut ait Pindarus, aquas colligit; sed vivo gurgite exundat; dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehe-

<sup>1)</sup> Orat. 20, 67.

<sup>2)</sup> De or. 3, 43, 171.

<sup>3)</sup> Orat. 44, 149.

<sup>4)</sup> V. instit. orat. 9, 4, 1: De compositione non equidem post Marcum Tullium scribere auderem, nisi et ejusdem aetatis homines reprehendere id collocandi genus ausi fuissent. — 12, 10, 12: M. Tullium et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem et Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium et in salibus aliquando frigidum et in compositione fractum, exultantem ac paene, quod procul absit, viro molliorem.

<sup>5)</sup> Quam rem ita esse ex his, quae Cicero ipse narrat (orat. 63, 213.) intelligitur: „Me stante C. Carbo tribunus plebis in concione dixit his verbis . . . : Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit. Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabilis esset. Quaero nonne id numerus efficerit. Verborum ordinem immuta, fac sic: Comprobavit filii temeritas, jam nihil erit, etsi temeritas ex tribus brevibus et longa est, quem Aristoteles ut optimum probat, a quo dissentio. . . .“

<sup>6)</sup> Instit. orat. 10, 1, 108.

mentius potest? Cui tanta unquam jucunditas affuit? Ipsa illa, quae extorquet, impetrare eum credas, et quum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus, quae dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat: nec advo-  
cati studium, sed testis aut judicis afferat fidem; quum interim haec omnia, quae vix sin-  
gula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata, et illa, qua nihil pul-  
chrius audita est, oratio p[ro]ae se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in judiciis dictus est: apud posteros vero id con-  
secutus, ut Cicero jam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur.“

Quamquam hoc ita esse nunc, ut jam pridem feci, facile confiteor, tamen iterum atque iterum monitum velim, ne quis in omnibus dicendi generibus in universum aut in periodis conformandis Ciceronem solum esse imitandum opinetur. Ne hanc quidem ad rem ostendendam quidquam commodius esse putavi quam ut eundem Quintilianum sequerer, qui dicit:<sup>1)</sup> „Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitando putemus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nam comoedia non cothurnis assurgit, nec contra tragoezia socculo ingreditur.“ — Quibus addenda sunt haec:<sup>2)</sup> Rebus accommodanda compositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, et cum dicente aequae audientem inhorrescere. Membratim plerumque narabimus, aut ipsas periodos majoribus intervallis et velut laxioribus modis resolvemus: exceptis quae non docendi gratia, sed ornandi narrantur: ut in Verrem „Proserpinæ raptus.“ Haec enim lenis et fluens contextus decet. Periodus apta prooemii majorum causarum, ubi sollicitudine, commendatione, miseratione eget. Item communibus locis et in omni amplificatione: sed poscitum tum austera, si accuses; tum fusa, si laudes. Multum et in epilogis pollet. Totum autem hoc adhibendum est, quod sit amplius compositionis genus, cum judex non solum rem tenet, sed etiam captus est oratione et se credit actori et voluntate jam dicitur. Historia non tam finitos numeros quam orbem quendam contextumque desiderat. Namque omnia ejus membra connexa sunt, quoniam lubrica est ac fluit: ut homines, qui manibus invicem apprehensis gradum firmant continent et continentur. Demonstrativum genus omne fu-  
siores habet liberioresque numeros. Judiciale et concionale, ut materia varia est, sic etiam ipsa collocatione verborum. Ubi jam nobis pars ex duabus, quas modo fecimus, secunda tractanda est. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia ornatus, alia gracilis esse dicenda? Gravibus, sublimibus, ornatis longas magis syllabas convenire? . . . Ac mihi videtur tota narratio [non quidem historiae,

<sup>1)</sup> Inst. or. 10, 2, 21.

<sup>2)</sup> Ib. 9, 4, 126 ss.

sed causarum narrationes intelligit] constare longioribus membris, brevioribus periodis.<sup>1)</sup>

Sed de periodis in universum hactenus. Nam quum non id egerim, ut, quae periodorum ratio hisce temporibus doceretur, quaeque ejus praecepta traderentur, accuratius exponerem, sed ut, quid veteres hujus rei auctores praecipui de eis judicaturi fuerint, si historici generis proprietates docendo absolvissent, conjectura colligeretur, qua re Livium defendarem, jam ad caput totius disputationis pergere licebit. Nam de eis periodorum praeceptis, quae logica appellantur, nihil hoc loco dicendum arbitratus sum, quippe quae ad universam orationem pertinerent et ab nostris tam exquisite et subtiliter tradita essent, ut parum docuisse aut praecepisse mihi quidem non viderentur: quorum libros evolvet qui omnia, quae huc spectant, cognoscere studebit. Ne grammaticorum quidem libri eum plane deficient, qui ad hos confugere volet.

### III. De Livianis periodis.

Quicunque studia antiquitatis paulo accuratius tractat, ei saepenumero usu venire puto, ut, quum aliquamdiu in solius Ciceronis scriptis legendis occupatus fuerit, ad Livium reversus insolenti hujus dicendi genere quodammodo commoveatur et non sine aliquo negotio eo perveniat, ut eandem voluptatem quam antea ex ea lectione percipiat. Eodem fere modo affici eum suspicor, qui ad Ciceronis lectionem per aliquod temporis spatium, quo Livium potissimum legerit, intermissam redierit. Neque tamen, si utrumque recte aestimat, aut ut Livium aut ut Ciceronem despiciat, unquam in mentem ei veniet: rectius erit veram hujus rei causam exquirere. At vero equidem ut vidi multum inter illos scriptores interesse, quum, quid interesset, inquirerem, operam frustra dedi, ut singulis rebus conquisitis illud satis explicarem. Tum demum, quid interesset inter eos, plane intellexi, quum ad periodorum conformatiōnē illis scriptoribus propriam acriter animum intendissem. Eo enim modo cognovi, totius rei discri men in periodorum propria conformatiōne esse positam ceterasque res, quas a quibusdam collectas vidi sem, aut non ita magno momento esse aut eadem causa, qua periodorum proprietatem, effici: id quod de participiis et constructione ad sensum quam dicunt nuper ostendi. Quoniam igitur Livianaē periodi totae historiarum scribendarum generis sunt earumque proprietates in hoc consistunt, hae sunt ex illo exquirendae. Quamquam non desunt, qui, quum historicum genus ab oratoriī generis natura multum distare negent, historicas periodos simillimas esse debere oratoriis affirment. Qui mihi a vero longe videntur aberrasse. Nam quamvis recte illi dicant, linguam latinam ad oratorum maxime usum eo tempore, quo penes principem terrarum populum summa pote-

<sup>1)</sup> Quint. inst. or. 9, 4, 126 ss.

stas esset ejusque suffragiis cuncta dirigerentur, esse excultam, et omnia scribendi dicendique genera eandem naturam induisse, tamen, quod jam nihil fere intresse dicunt, justum argumentandi modum excedunt. Neque ipsi cum Cicerone se discrepare vident dicente:<sup>1)</sup> „Demochares autem, qui fuit Demostheni sororis filius, et orationes scripsit aliquot et earum rerum historiam, quae erant Athenis ipsius aetate gestae, non tam historico quam oratorio genere perscripsit.“ Quodsi quis periodorum conformatioinem et Ciceronianam et Livianam cum studio spectare velit, eum non dubitare existimo, quin, ut ferri non posset, si Liviana dictio tota ad orationes publicas adhiberetur, ita Ciceroniana periodorum ars in historia scribenda maxime offendere. De qua re quamquam veterum auctorum judicia accurate verbis expressa afferri non possunt, quippe qui ad scribendum de historica dictione nunquam accesserint: tamen qui paulo diligentius quae supra commemoravimus contemplati erunt, eis haud magna opera, quid illi velint, apparebit. Nam quum in orationibus ipsis et genera et partes propriam dictionem et compositionem requirere illi dixerint, quid de historia dicturi fuerint, non tam difficile est colligere. Quae res quo probabilior fiat, de historia paucis videtur esse exponendum.

Historicum dicendi genus arte orationis plena et perfecta excultum haud insimum locum inter cetera genera obtinet aut certis proprietatibus et artibus caret. Quod quum et delectare velit et ita narrare, ut res bene cognoscantur, ei non solum perspicuitate sed etiam venustate orationis opus est. Proximum, quemadmodum Quintilianus dicit,<sup>2)</sup> est poetis horumque dictioni est simillimum, quod scriptores, quibus rebus sensus movetur, eas omni modo sic verbis exprimere student, ut qui legant eadem ratione, qua ipsi, afficiantur: ita tamen, ut res gestas, quantum possint, cum fide et sinceritate scribant. Qua re cum poetis discrepent necesse est. Nam poetae quum nihil fere aliud agant, nisi ut delectent, atque tota in dictione numero pareant, de ceteris rebus nullo modo laborant. Ab oratorio genere historicum hanc maxime ob causam plane alienum est, quod orator non eas res, quibus ipse movetur, sibi ad eloquendum proponit, sed ut homines eo adducat, ut quae ipse animo habet et vult faciant aut perpetiantur. Fit fere igitur, ut ille verba faciat ad ea, quae cogitat, sequenda, non vero verba efficiantur rebus ipsis, quae causis extra positis dignuntur. Quid mirum, si in orationibus verba non semper leni directoque cursu fluunt, sed saepissime tortuoso quodam ingressu videntur ferri. Nam oratoris maxime interest, ut eorum, qui audiunt ipsum, animi et mentes in eas res, quas vult, intendantur atque impetu cursuque orationis quasi obstringantur. Accedit quod, quum historiae non magis audiantur quam legantur, aurium judicio minus sunt subjectae scriptoremque ad alias potius res spectare cogunt. Fieri igitur non potest, quin oratorium dicendi genus, quod

<sup>1)</sup> Brut. § 286.

<sup>2)</sup> Inst. or. 10, 1, 31.

ad totam collocationem attinet, ab historico multum differat. Hoc medium igitur locum inter oratorium genus et poeticum tenet, et cavendum est, ne his confundatur. At historiam ab annalium quoque simplice et incompta dictione non minus longe abesse suumque ornatum atque cultum obtainere facile intelligitur.<sup>1)</sup> Ne commentariorum quidem genus, quale Julius Caesar scripsit, cetera egregium, huic in aequo poni licet. Quae res tum commodissime apparebit, quum historicarum periodorum ratio perspecta erit; ad quam exponendam paucis jam aggrediamur. Ad quam rem exempla, quae afferre cogito, plurimum valebunt. Ceterum, si in animo haberem, Livianarum periodorum, hoc est historicarum, praestantiam laudare et extollere, nihil aut antiquius aut melius ducerem, quam ut Weissenbornii verba, quae insunt in praefatione editionis T. Livii librorum, hoc loco prescriberem; quibus verbis luculentissime earum natura et proprietas et exponitur et laude afficitur. At neminem fere esse puto, cuius in manibus ea editio non sit. Fusius etiam Queckius cum totam Livii dictionem tum periodorum genus tractavit et laudavit maximeque copiam exemplorum colligit, quibus eae explanantur.<sup>2)</sup>

Quum universa dicendi ratio, quamadmodum supra demonstravimus, complures habet formas, quarum cuique sua proprietas periodorum conformandarum est, tum historia tribus potissimum formis utitur, quae inter se quodam modo differunt, narrationum historicarum, descriptionum, concionum. Primum de narrationinibus erit dicendum. Nam quum in eis historiae partibus, quibus res gestae narrantur, summa historici generis proprietatum consistat, illarum praecipue in quaestione nostra rationem esse habendam facile appetit. In narrationibus igitur res exponuntur, quae tempore quodam factae sunt, quarum aut altera alteram subsequitur aut quae ejusdem temporis sunt. Quae res ubi neque per se magnae sunt neque ad hominem aliquem gravissimum ita pertinent, ut hunc magnopere afficiant, verba periodorum leniter et aequabiliter fluant vel membratim dicatur necesse est. Verum ubi id agitur, ut majores gravioresque res tractentur, quae punto quodam temporis comprehendantur, tum periodis scriptor utitur ad tabulam quasi pictam efficiendam, in qua, ut ita dicam, vel humanae vel divinae species in conspectu ponantur, aut per certa intervalla partes rerum gestarum deinceps sese excipiant. Quarum rerum enuntiationes inter se optime conjunguntur aut particulis hisce potissimum: postquam, ut, ubi, quum, dum ceteris quae ad tempus pertinent, aut participiis et ablativis absolutis: quibus omnibus per vicissitudinem, ut commode fieri potuit, Livius usus admirabilem compositionis formam et lacteam illam ubertatem, quemadmodum Quintilianus dicit, quam recte admiramus, effecit.

„Numitor inter primum tumultum hostes invasisse urbem atque adortos regiam dictans, cum pubem Albanam in arcem praesidio armisque obtainendam avocasset, post-

<sup>1)</sup> Cf. Cic. de orat. 2, 12, 52.

<sup>2)</sup> Progr. gymnas. Sondershus. a. 1853.

quam juvenes perpetrata caede pergere ad se gratulantes vidit, extēmpto ad vocato concilio scelus in se fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, caedem deinceps tyranni seque ejus auctorem ostendit.<sup>1)</sup> Quis hujus periodi similem apud Ciceronem vix reperiri neget: at quam apte omnes rei gestae partes, ut inter se consequuntur, conjunctionibus participiisque ita compositae sunt, ut „Numitor“ totius facti quasi gubernator incipiat periodum et voce ostendit eadem concludatur.<sup>2)</sup> Quam facile pictor artis suae peritus ex eis rebus, quae illa periodo continentur, tabulam conficit. Fluit autem in ea periodo quietior oratio propterea, quod res ratione et consilio, ut praeter opinionem cadere non possit, geritur: in hac vero propter ardorem ejus, de quo dicitur, vehementior, ut amnis per ripas paene effusus, fertur: „Flaminus, qui ne quieto quidem hoste quieturus erat, tum vero, postquam res sociorum ante oculos prope suos ferri agique vidit, suum id dedecus ratus, per medium jam Italiam vagari Poenum atque obstante nullo ad ipsa Romana moenia ire oppugnanda, ceteris omnibus in consilio salutaria magis quam speciosa suadentibus: conlegam exspectandum ut conjunctis exercitibus communi animo consilioque rem gererent; interim equitatu auxiliisque levium armorum ab effusa praedandi licentia hostem cohibendum: iratus se ex consilio proripuit signumque simul itineris pugnaeque quum dedisset, „immo Arreti ante moenia sedeamus, inquit, hic enim patria et penates sunt.“<sup>3)</sup>

Quaero, num aut numerus aut concinnitas aut compositio desit, aut num forma collatioque verborum ea sit, ut non facile periodus perspici intelligique possit. At quam speciem habere eam putaremus, si in forensi oratione aut in concione inveniretur? Compara hanc Ciceronis periodum: „Quum autem Milo de rheda rejecta paenula desiluisse seque acri animo defenderet, illi, qui erant cum Cladio, gladiis eductis partim recurrere ad rhedam, partim, quod hunc jam imperfectum putarent, caedere incipiunt ejus servos, qui post erant: ex quibus qui animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, quum ad rhedam pugnari viderent, domino succurrere prohiberentur, Milonem occisum et ex ipso Cladio audirent et re vera putarent, fecerunt id servi Milonis — dicam enim aperte non derivandi criminis causa, sed ut factum est — nec imperante nec sciente nec praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisse.<sup>4)</sup> Admirabilis quaedam ars dicendi in ea periodo inest. Hac quoque res gestae narrantur, sed ita fere compositae narrantur, ut vix dissimuletur, narrari eas eo potius modo, quo non gestae sunt, quam quo modo gestae sunt; neque videre non licet id magnopere agi, ut verborum ambagibus tenebrae quaedam rei obducantur. Non fluit aut aequabiliter procedit

<sup>1)</sup> 1, 6.

<sup>2)</sup> Coll. Zumpt. gram. § 817.

<sup>3)</sup> 22, 3, 7—10.

<sup>4)</sup> Pro Mil. 10, 29.

oratio, sed in membrorum conformatione quodammodo haeret. Est illud quidem arte collare verba, historiam scribere non est; neque tamen ut Ciceronem non accusamus, quod quae assequi vult arte sua consequi studeat, eam periodorum formam et collocationem ad res gestas perscribendas accommodatam esse dicemus. At quanta pars Milonianae orationis, quanta ejus, quam pro imperio Cn. Pompeji habuit, summa admiratione digna est, eam maxime ob rem, quod causa, pro qua dicit, etsi non injusta, tamen per se non ita valida est, apte commodeque collocatis verbis sic defenditur, ut, quod ingenium eorum est, qui audiunt, ei vix quidquam contra dici posse opinentur.<sup>1)</sup> Quare mirari non oportet, quod Ciceronem tantum valuisse apud suos arte oratoria omnes consentiunt.

Caesaris periodi, quum saepe tantam copiam rerum contineant, ut modum paene excedere videantur, rarius rotundam et ad unum quasi verborum ambitum compositam formam efficiunt, sed laxam seriem rerum continent grata quadam negligentia confectam, qualis commentariorum eorum generi convenit, a quibus ars ipsa compositionis abesse solet, nisi forte ingenio tanti viri fortuito efficitur, quum consilium non adsit.

„Quibus cognitis rebus Pompejus, deposito adeundae Syriae consilio, pecunia societatis sublata et a quibusdam privatis sumta, et aeris magno pondere ad militarem usum in naves imposito duobusque milibus hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim a negotiatoribus coegerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat, Pelusium pervenit.“<sup>2)</sup> — „Illi adhibita audacia et virtute, administrantibus M. Antonio et Fufio Caleno, multum ipsis militibus hortantibus, neque ullum periculum recusantibus, nacti austrum naves solvunt.“<sup>3)</sup>

Quanta participiorum copia, varietas nulla! — „Sinistro cornu milites, quum ex vallo Pompejum adesse et suos fugere cernerent, veriti, ne angustiis intercluderentur, quum extra et intus hostem haberent, eodem, quo venerant, receptu sibi consulebant, omniaque erant tumultus, timoris, fugae plena, adeo ut, quum Caesar signa fugientium manu prehenderet et consistere juberet, alii dimissis equis eundem cursum conficerent, alii ex metu etiam signa dimitterent, neque quisquam omnino consistenter.“<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Coll. Quint. inst. or. 4, 2, 20: „Quod sic intelligi volo, si non modo, factum quid sit, sciet: sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta, ut tantum cognoscat judex, sed aliquanto magis ut consentiat. Quare, etiamsi non erit docendus, sed aliquo modo afficiendus, narrabimus cum praeparatione quadam. . . . In quo genere plurimis figuris erit varianda expositio, ad effugendum taedium ejus, qui nota audiat.“ —

Ib. 12, 10, 53: „Quum vero judex detur aut populus, aut ex populo, laturique sententiam indocti saepius, atque interim rustici: omnia, quae ad obtainendum quod intenditur prodesse credamus, adhibenda sunt.

<sup>2)</sup> Bell. civ. 3, 403.

<sup>3)</sup> Ib. 26.

<sup>4)</sup> Ib. 69.

Sed ad hujus generis periodorum, quibus res narrantur, rationem recte aestimandam satis multa exempla attulisse videor. Id genus maxime circumductum appellaverim vel circumscriptionem, in qua verba ita quasi circumducantur, ut principium eorum extremae parti respondeat; quibus duabus rebus ceterae partes in unum circumcludantur et inter se contineantur. Alterum autem est genus, non minore arte confectum, quam continuationem potius appellaverim, hoc est membrorum seriem, in qua res rebus annexae sunt ita, ut vinculo tamen satis valido jungantur. Cujus generis est hoc, quo pars proelii ad Trasimenum lacum facti describitur: „Erat in tanta caligine major usus aurium quam oculorum. Ad gemitus vulnerum ictusque corporum aut armorum et mixtos strepentium paventiumque clamores circum ferebant ora oculosque: alii fugientes pugnantum globo illati haerebant, alios redeentes in pugnam avertebat fugientium agmen. Deinde, ubi in omnes partes nequicquam impetus capti, et ab lateribus montes ac lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam nisi in dextra ferroque salutis spem esse, tum sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam et nova de integro exorta pugna est, non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios, nec ut pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies, nec ut in sua legione miles aut cohorte aut manipulo esset: fors congregabat et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat; tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae, qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit avertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantum senserit.“<sup>1)</sup> — Ceterum quanta vis et jucunditas in ulrisque periodis Livianis insit, quanta concinnitatis, numeri, compositionis varietas, tum demum maxima cum admiratione intelliges, quum totos locos, quibus vel res praecclare a Romanis gestas aut calamitosas, vel quorundam virorum eximiam fortitudinem scribit, animo ad artem dicendi maxime attento perlegeris: ut certamen Horatiorum et Curiatiorum, pugnam Regillensem, proelium vel ad Trasimenum lacum vel ad Cannas factum, quasdam seditiones. Mirari vero non licebit, quum non in omnibus rebus eandem ubertatem praestantiumque dicendi aut aequabilitatem atque concinnitatem, sed interdum negligentiam quandam inveneris.

Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,  
 Quem bis terque bonum cum risu miror, et idem  
 Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.<sup>2)</sup>

Dormitet aliquando Homerus, dormitet Livius: neque tamen propter eam rem aut alter bonus, vel potius optimus poeta non erit, aut alter optimus historiarum scriptor inter Romanos haberi unquam desitus est. Quod si quis periodis Livianis tantum tribuit, quas ad

<sup>1)</sup> 22, 5, 4.

<sup>2)</sup> Hor. ep. 2, 3, 357—59.

latine scribendi artem adhibendas esse putet, quidnam dubitet, omnem latinitatis ejus suspicionem tollere, non video: praesertim quum sit verisimile, scriptoris, qui eam dictionis artem, qua summa latinitatis elegantia atque integritas continetur, optimi cujusque adaequet, universum dicendi genus esse imitatione dignum. Sed ad rem nostram explicandam redeamus.

Qui de periodorum doctrina scripserunt,<sup>1)</sup> genera earum aut ex numero rationeque membrorum aut ex generibus dictionis his tribus facere solent, summo, medio, infimo. Quod quamquam equidem non improbaverim, tamen genera haec, poeticum, historicum, oratorium, id denique, quo docetur, plane negligenda esse negaverim. Nam eam divisionem, quam illa faciunt, non sufficere ad omnes proprietates periodorum satis perspiciendas jam appetet. Quod quo magis intelligatur, cum eis historicarum periodorum exemplis, quae supra ex Livio conscripsimus, eo maxime loco, quo de proelio ad Trasimenum lacum facto scribitur, hae Ciceronianae conferantur. Quibus inter se collatis non difficile erit ad cognoscendum, quid inter eas periodos oratorias, quibus tota vi et vehementia oratoris res agitur et historicas, etiamsi his graves res contineantur, intersit: idque non rebus solum, quae tractantur, sed etiam verborum collocatione ipsa.

Cicero de Clodii seditiosis turbulentisque actionibus et intolerabilibus injuriis hisce verbis dicit:<sup>2)</sup> „Sed ut revertar ad illud, quod mihi in hac omni est oratione propositum, omnibus malis illo anno scelere consulum rem publicam esse confectam, primum illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus, quum ego me ex complexu patriae conspectuque vestro eripuisse et metu vestri periculi, non mei, furori hominis, sceleri, perfidiae, telis minisque cessisse patriamque, quae mihi erat carissima, propter ipsius patriae caritatem reliqusem, quum meum illum casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent, nemo vestrum forum, nemo curiam, nemo lucem aspicere vellet: illo, inquam, ipso die, die dico? immo hora atque etiam puncto temporis eodem mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est.“ — „Mitto eam legem, quae omnia jura religionum, auspiciorum, protestatum, omnes leges, quae sunt de jure et de tempore legum rogandarum, una rogatione delevit; mitto omnem domesticam labem: etiam exteras nationes illius anni conquisatas videbamus. Lege tribunicia Matris magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus et spoliatus sacerdotio est fanumque sanctissimarum religionum venditum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini atque indigno illa religione, praesertim quum ea sibi illa non colendi, sed violandi causa appetisset: appellati reges a populo, qui id nunquam ne a senatu quidem postulassent: reducti exsules Byzantium condemnati tum, quum indemnati cives e

<sup>1)</sup> Hi potissimum sunt nominandi: Lehmann, Allgemeiner Mechanismus des Periodenbaues. Danzig 1833.  
— Naegelsbach, Lateinische Stilistik für Deutsche. Zweite Auflage. Nürnberg 1852. pag. 416 ss.

<sup>2)</sup> Orat. pro Sestio 24, 53. 56. 57.

civitate ejiciebantur: rex Ptolemaeus, qui si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater ejus regis, qui quum esset in eadem causa, jam erat a senatu honorem istum consecutus: erat eodem genere iisdemque majoribus, eadem vetustate societatis: denique erat rex, si nondum socius, at non hostis: pacatus, quietus, fretus imperio populi Romani regno paterno atque avito regali ocio perfruebatur: de hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus est rogatum, ut sedens cum purpura et sceptro et illis insignibus regiis paeconi publico subjiceretur, et imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus nulla injuria commemorata, nullis rebus repetitis cum bonis omnibus publicaretur.“ — Evolat his locis tota oratio ab initio ad occupandos animos artibus omnibus ornamentisque satis superque instructa atque gravitate numeri ad finem etiam crescens. Num quis de eis collocationis artibus, de quibus supra diximus, quidquam deesse putat? At quis id periodorum genus ad narrandum aptum esse dixerit? — Cum illis periodis conferantur hae, quibus docetur:<sup>1)</sup> „Magna nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisse: M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse; erantque multi, qui, quamquam non ita sese rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio discendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent, ut, si homines non erudi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor et stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. Quos tum, ut pueri, refutare domesticis testibus patre et C. Aculeone propinquo nostro et L. Cicerone patruo solebamus, quod de Crasso pater et Aculeo, quocum erat nostra matertera, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de ejus studio doctrinaque saepe narravit; quumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quae Crasso placerent, et ab iis doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud saepe intelleximus, quum essemus ejus domi, quod vel pueri sentire poteramus, illum et graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percontando eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum vidcretur.“ — Has periodos ad docendi genus aptissimas esse nemo fere negabit. Nam quum eis permulta res singulae, quas explanare oportet, continantur, identidem insistat flumen orationis necesse est: ad quas res explicandas multitudo pronominum relativorum et particularum commodissima est. Is modus vero abhorret ab historico genere, quod, quemadmodum Quintilianus dicit, lubricum est ac fluit, cujus membra pariter ut actiones, quae describuntur, inter se cohaerent et consequuntur, ut in uno conspectu omnia ponantur.

<sup>1)</sup> De orat. 2, 1, 1 -- 2.

Poetici generis periodos praetermittere jam licebit. Nam si ea, quae de ceteris generibus attulimus, reputata erunt, haud magna opera his quoque suas proprietates esse intelligetur. Quis enim eam periodum, quae apud Horatium legitur,<sup>1)</sup> „Qualem ministrum fulminis alienum“, — qua duo Nerones cum aquila et cum leone comparantur, ad historiam aut ad quodvis aliud genus accommodatam esse putat? —

In descriptionibus locorum potissimum, ait Quintilianus, componendi genus fusum ac fluens esse oportere;<sup>2)</sup> id quod dicit recte. Nam quum eo loco de oratorio dicendi genere atque eis collocationis artibus exponat, quibus animi eorum, qui audiant, maxime commoveantur, non simplicem atque ad declarandam eam rem, de qua orator dicit, accommodatam descriptionem requirit, sed bene apteque compositam, qua animi auditorum praeparentur. Ad quam rem oratori periodos esse accommodandas existimo. Ciceronem vero mira arte huic rei inservivisse multis exemplis comprobare possum. Imprimis laudatio Siciliae<sup>3)</sup> et Syracusarum<sup>4)</sup> descriptio<sup>4)</sup> huc pertinet. Hae sunt ex ea periodi eximiae: „Ac jam illa omitto, quae disperse a me multis in locis dicentur ac dicta sunt: forum Syracusarum, quod introitu Marcelli purum caede servatum est, id adventu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse: portum Syracusanorum, qui tum et nostris classibus et Carthaginiensium clausus fuisse, eum isto praetore Cilicum myoparoni praedonibusque patuisse: mitto adhibitam vim ingenuis, matres familias violatas, quae tum in urbe capta commissa non sunt neque odio hostili neque licentia militari neque more belli neque jure victoriae: mitto, inquam, haec omnia, quae ab isto per triennium perfecta sunt: ea, quae conjuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. Urbem Syracusarum maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium, saepe audistis.. Est, judices, ita, ut dicitur. Nam et situ est munito tum ex omni aditu, vel terra vel mari, praeclaro ad asperatum, et portus habet prope in aedificatione aspectuque urbis inclusos: qui quum diversos inter se aditus habeant, in exitu conjunguntur et confluunt.“ Compara cum illa descriptione eam, qua Livius ex Syracusarum situ et munitionibus eas res perscribit, quae ad rem, quae geritur, bene cognoscendam pertinent.<sup>5)</sup> De Carthagine nova sic scribit:<sup>6)</sup> „Ceterum sita Carthago sic est. Sinus est maris media fere Hispaniae ora, maxime Africo vento obpositus, et quingentos passus introrsus retractus, paullulo plus passuum in latitudinem. Hujus in ostio sinus parva insula objecta ab alto portum ab omnibus ventis, praeterquam Africo, tutum facit. Ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita

<sup>1)</sup> Carm. 4, 4, 1—28.

<sup>2)</sup> Instit. or. 9, 4, 138.

<sup>3)</sup> Verrin. 2, 1. ss.

<sup>4)</sup> Ib. 4, 52, 53.

<sup>5)</sup> 24, 34.

<sup>6)</sup> 26, 42.

urbs est, ab ortu solis et a meridie cincta mari: ab occasu stagnum claudit, paulum et ad septentrionem fusum; incertae altitudinis, utcunque exaestuat aut deficit mare.<sup>1)</sup>

Quaecunque descriptiones apud Livium inveniuntur, non carent illae quidem ornamentiis et venustate orationis, sed carent ornamentorum abundantia ea, quae oratorio generi conveniunt, historiae non conveniunt. Quid enim aliud locorum descriptionibus aut historiarum scriptor assequi vult, nisi ut rerum gestarum, quas scribit, cognitionem adjuvet, aut orator, nisi ut animos hominum commoveat? Atqui uterque quod vult collocatione verborum assequitur. Etiamsi igitur inter descriptiones historici et oratorii generis non tantum interest, quantum inter eos locos, quibus aut orator rem suam agit aut historiarum scriptor de rebus gestis dicit, tamen aliquantum, quod ad collocationem attinet, interesse lectione ipsa per se declaratur. Operae preium est simplicem elegantemque descriptionem furcularum Caudinarum legere lectamque cum narratione earum rerum, quas Romani eis inclusi ac perterriti gesserunt, conferre.<sup>1)</sup>

Quod vero Livium dormitare aliquando supra diximus nullo modo dicere licet, quum de eis periodis, quae insunt in ejus concionibus, quaeritur. In his enim ut laude hominum ita invidia aut vituperatione est major: ex his potissimum praeclara ejus ars indolesque cernitur, quantumque inter ipsius et Ciceronis ingenium intersit cognoscitur. Omnibus enim locis et in omnibus causis Livius eadem sinceritate, moderatione, simplicitate utitur. Ne in eis quidem concionibus, quibus aut factionum principes inter se contendunt, aut quibus concitata multitudo sedanda vel iners populus castigandus incitandusque est, aut insultat nimis aut remittit oratio. Nam quemadmodum summa admiratione majestatis populi romani est affectus virosque, quorum res gestas scribit, in magno honore habet multoque meliores putat quam suae aetatis homines, quarum ambitione, luxuria, avaritia omnia misceantur, ita videtur vereri, ne quid de dignitate, verecundia, auctoritate eorum detrahatur, si quibusdam artificiis dicendi, de quibus quid judicandum sit dubitari liceat, tales tantosque viros usos esse perhibeat. Hoc enim persuasisse sibi videtur, ubi res ipsa loquatur, ibi multis verbis opus non esse. Itaque quum tales viri publice dicunt, nunquam fere quidquam a nobis desideratur aut ab hominibus tum fuisse desideratum nobis videtur. Nunquam vero aut amplificationibus, quemadmodum Quintilianus dicit, extollit orationem aut in superlationem erigitur.<sup>2)</sup>

Ad quam rem intelligendam conferatur cum ea oratione, quam Livius a Quintio consule apud Quirites habitam esse fingit,<sup>3)</sup> eas periodos, quae in orationis pro Sestio habitae cap. 20 et 21 leguntur: Etenim si —; Quum vero —; Denique, quum omnia —. Legatur paulo accuratius ea oratio, quam P. Decius Mus ad suadendam legem Ogulniam

<sup>1)</sup> Liv. 9, 2.

<sup>2)</sup> Inst. orat. 12, 10, 62.

<sup>3)</sup> 3, 67, 68.

habuit;<sup>1)</sup> eam, quam Hirpinorum Samnitiumque legati graviter commoti ad Hannibalem habuerunt. Denique legatur Q. Fabii oratio ad populum habita,<sup>2)</sup> qua quos potissimum consules facere opus sit exponit: quam comparare quod ad periodorum conformatiōnēm attinet cum ea Ciceronis oratione, quam pro imperio Cn. Pompeji habuit, longe utilissimum existimo. Imprimis vero dignae sunt quae legantur duae orationes habitae in senatu, altera a Q. Fabio Maximo, altera a P. Cornelio Scipione, quibus orationibus tanti viri paulo concitatius sed honestissime tamen inter se contendunt.<sup>3)</sup>

His, quae exposui, comprobari puto, Livianas periodos, quarum proprietates in historico genere ita sint positae, ut ab hoc sejungi non possint, imitari eum oportere, qui non quotidiano vel alio sermone, sed historico, narrationes explicare recte studeat. At forsitan aliquis quaerat, quid ea ratio et usus ad animos adolescentium, si latine scribendi facultatem species, asserre possit. Impediri potius eam facultatem dissimilibus generibus orationis ad imilandum propositis, quam adjuvari. Qui ita dicunt longe a vero aberraverunt. Nam si hoc potissimum in cognitione linguae latinae frugiferum est, quae sit ejus linguae, ut alienae, indoles et proprietas intelligere, qua re intellecta utique nostram linguam rectissime cognoscere possimus, periodorum, hoc est floris orationis, natura bene cognita et aptis exercitationibus perspecta plurimum assecuti erimus. Quod vero ad usum ejus rei attinet, nihil accommodatus vel utilius erit, quam ut quem in nostram tum in latinam linguam transferentes utriusque linguae proprium periodorum conformandarum usum diligenter sequamur. Ille enim major ambitus dicendi, quem ad latinam orationem exornandam maxime conformatum esse vidimus, ad narrationes nostrae linguae multo minus convenit: quare periodi latinae in partes sunt dissolvenda. Contra nostri sermonis enuntiata, quippe quae sint simpliciora, colliganda et ad circuitum membris compluribus constantem sunt componna. Ad quam rem excendam non multis verbis, quibus ea doctrina exponatur, opus esse puto, sed faciliter opera rei usus intelligitur et exercitatur. Quod qua ratione fieri oporteat aliquot exemplis amplius explicare haud erit incommodum.

Eam periodum, quam supra descripsimus, Numitor inter primum tumultum . . . ostendit vel hoc vel simili modo in duas partes dividendam esse puto earumque utramque pro se convertendam: Numitor lockte bei dem ersten Lärm, indem er ausstreute, dass die Feinde in die Stadt eingedrungen seien und den Palast angegriffen hätten, die wehrhaften Albaner auf die Burg, um dieselbe zu besetzen und zu vertheidigen. Als er aber die jungen Leute nach Vollbringung der Mordthat auf sich zukommen sah, berief er sofort eine Versammlung und erklärte . . . — Similiter hanc, Flaminus . . . se proripuit . . .

<sup>1)</sup> 10, 7. 8.

<sup>2)</sup> 24, 8.

<sup>3)</sup> 28, 3, 60—64.

Flaminius hätte nicht geruht, wenn sich auch die Feinde ruhig verhalten hätten, indem er glaubte, dass es für ihn eine Schande sei. . . . Als nun aber die Uebrigen im Kriegsrath . . . Vorschläge machten . . . , da stürzte er voll Zorn aus der Versammlung mit den Worten: . . . —

Eadem ratione utendum est, quum in latinum sermonem convertitur:<sup>1)</sup> Hannibal hatte unterdessen den Maharbal mit 500 Reitern abgeschickt, um die Aecker der Bundesgenossen des römischen Volks zu verwüsten und ihm befohlen, der Gallier so viel wie möglich zu schonen und ihre Fürsten zum Abfall zu reizen. Als er sah, dass die Römer nicht weit von seinem Lager sich niedergelassen hatten, rief er schleunigst den Maharbal und die Reiter zurück, und da eine Schlacht bevorstand, so glaubte er nichts unterlassen zu dürfen, um die Soldaten zu ermuthigen; er berief sie daher zu einer Versammlung und verhiess ihnen gewisse Belohnungen, in deren Hoffnungen sie kämpfen sollten.<sup>1)</sup> Ubi vidit, Romanos non procul a castris suis consedisse, revocato propere Maharbale atque equitibus, cum instare certamen cerneret, nihil praetermittendum in cohortandis militibus ratus, vocatis ad concionem certa praemia pronuntiat, in quorum spem pugnarent: agrum sese daturum esse . . . —

Quae res aliquamdiu exercitata non solum artem latine scribendi universam, sed etiam Livii rectam existimationem optime adjuvabit. Hoc vero in conformandis periodis cendum est, ne quae res gestae in uno conspectu poni non possint conjungantur: illa periodus Hannibal hatte . . . cum altera Als er sah . . . non bene conjungitur.

<sup>1)</sup> Materialien zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische. Von Grotfend. Zweite Ausgabe von Geffers. Des zweiten Cursus erstes Heft. Göttingen 1854. pag. 43.



# Schulnachrichten.

## A. Lehrverfassung.

Übersicht des von Ostern 1859 bis Ostern 1860 ertheilten Unterrichts.

### I. Sprachen und Wissenschaften.

#### Ober- und Unterprima.

Ordinarius: Der Director.

1. Griechische Sprache. Thucyd. I und II mit Auswahl. Soph. Ajax und Antigone, nebst einer Einleitung in die griechische Tragödie. Grammatik nach Buttman § 134—145. Exercitien nach Franke 3. Cursus. Privatim lasen die Schüler mehrere Bücher der Ilias. 6 St. Dr. Weismann.

2. Lateinische Sprache. Horat. Od. mit Auswahl; Erklärung der Horazischen Versmaße; Memoriren einiger der schönsten Oden. Sallust. bellum Catil. und Jugurth. Ausgewählte Stellen aus Cic. Tusc. Extemporalien, freie Aufsätze. Die Übungen im Lateinsprechen wurden mit der Lectüre verbunden. Die Privatlectüre umfasste Abschnitte aus Livius. 8 St. Der Director.

3. Deutsche Sprache. Geschichte der deutschen Nationalliteratur, von den ältesten Zeiten bis auf Opiz, nach Bütz; Proben aus dieser Periode und Lectüre des Nibelungenliedes nach Schwarz; Auswahl mittelhochdeutscher Dichter; ausgewählte Abschnitte aus der deutschen Grammatik über Laut- und Wortbildungslehre. Aufsätze. 4 St. Gegenbaur.

4. Französische Sprache. Louis XI von Delavigne. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen ins Französische. 2 St. Wormann.

5. Religionslehre. a) kathol. Die Sittenlehre, nach Martin 2. Theil. 2 St. Hahn. b) evangel. Das Evangelium Johannis. Der Römerbrief. 2 St. Nollmann.

6. Geschichte. Das Mittelalter, nach Bütz. Wiederholungen aus der alten Geschichte, besonders der römischen. 3 St. Der Director.

7. **Mathematik.** Combinationslehre und binomischer Lehrsatz; Wiederholung der allgemeinen Lehren der Arithmetik, mit besonderer Rücksicht auf ihren systematischen Zusammenhang. Übungen aus Heis § 87—93, 106—108. Wiederholung und Fortsetzung der Stereometrie in Verbindung mit geometrischen und trigonometrischen Übungsaufgaben. 4 St. Dr. Gies.

8. **Physik.** Die Lehre von den tropfbaren und elastischen Flüssigkeiten, vom Licht und vom Schall. 2 St. Dr. Gies.

### Ober- und Untersecunda.

Ordinarius: Gymnasiallehrer Dr. Weismann.

1. **Griechische Sprache.** Herod. I, 1—70; VI, 94—VII, 25. Grammatik nach Buttmann § 122—133 und 147. Exercitien nach Franke 2. Cursus; Extemporalien. Privatim lasen unter der Leitung des Lehrers die Obersecundaner Hom. Od. VII und VIII., die Untersecundaner Hom. Od. IV und V. 4 St. Dr. Ostermann. Hom. II. IX—XII. 2 St. Dr. Weismann.

2. **lateinische Sprache.** Cic. pro Ligar., pro Deiot. und pro Milon. Grammatik nach Zumpt § 672—721, nebst Wiederholung früherer Abschnitte. Exercitien nach Dictaten. Privatim lasen unter der Leitung des Lehrers die Obersecundaner Liv. XXIII, die Untersecundaner Caes. b. Gall. VII. 6 St. Dr. Weismann. Virg. Aen. IX und X, 1—400. 2 St. Donner.

3. **Deutsche Sprache.** Die Lehre von den Formen und Gattungen der Poesie. Erklärung von Gedichten nach Bach's Lesebuch, mit Berücksichtigung der Lebensverhältnisse der Dichter. Declinationsübungen. Aufsätze. 3 St. Dr. Weismann.

4. **Französische Sprache.** Charles XII von Voltaire, Buch 5 bis 8. Syntag des Verbum und der Partikeln nach Müller's Grammatik. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen ins Französische. 2 St. Bormann.

5. **Religionslehre.** a) kathol. Die vorchristliche und die christliche Offenbarung; die Lehre von der Kirche, nach Martin 1. Theil § 1—132. 2 St. Donner. b) evangel. combinirt mit Prima.

6. **Geschichte.** Römische Geschichte bis zum Untergang des weströmischen Reichs, nach Pütz. 2 St. Bormann.

7. **Geographie.** Politische Geographie der europäischen Staaten, nach Noon's 3. Lehrstufe. 2 St. Bormann.

8. **Mathematik.** Wiederholung der Lehre von den Proportionen, Potenzen und Wurzeln; die Logarithmen und Gleichungen vom ersten Grade. Übungen aus Heis § 38—65. Wiederholung und Fortsetzung der Geometrie nach Heis und Eschweiler Cap. 5—8. Die Anfangsgründe der Stereometrie. 4 St. Dr. Gies.

9. **Naturkunde.** Die Anfangsgründe der Geognosie und der mathematischen Geographie. 2 St. Dr. Gies.

**Obertertia.**

**Ordinarius:** Beauftragter Lehrer Körber.

1. Griechische Sprache. Lucian nach der Ausgabe von Eysell und Weismann: Dial. deor. 1—8, dial. mar. 1—7, Gallus; Hom. Od. VI, 223—IX; cursorisch I, II; Grammatik nach Buttmann § 110—114 nebst Wiederholung früherer Abschnitte. Exercitien und mündliche Uebersetzungen nach Franke 1. Cursus. 6 St. Körber.

2. Lateinische Sprache. Caes. bell. Gall. III—VI, 28; Grammatik nach Siberti Cap. 95—105; Wiederholung der Casus- und Tempuslehre. Exercitien und Extemporalien; mündliche Uebersetzungen nach Dronke. 6 St. Körber. Ovid. met. II. IV. V. VII. nach Nadermann's Auswahl. 2 St. Donner.

3. Deutsche Sprache. Lectüre und Erklärung von Gedichten und prosaischen Stücken aus Bach's Lesebuch. Declinationsübungen. Aufsätze. 3 St. Körber.

4. Französische Sprache. Florian's Numa Pompilius B. 1—4. Formenlehre des Nomen, Verbum und der Partikeln, nach Müller's Grammatik. Schriftliche Uebersetzungen in das Französische. 2 St. Bormann.

5. Religionslehre. a) kathol. Das christliche Kirchenjahr, mit Berücksichtigung der vorzüglichsten liturgischen Handlungen der kathol. Kirche, nach Malmus. 2 St. Donner. b) evang. Die fünf Hauptstücke des Katechismus. Memoriren evangelischer Kirchenlieder. 2 St. Nollmann.

6. Geschichte. Neuere Geschichte, mit besonderer Berücksichtigung des deutschen Volks, nach Bük. 2 St. Donner.

7. Geographie. Physicalische Geographie von Europa, nach Roon 2 St. Bormann.

8. Mathematik. Buchstabenrechnung, Proportionen, Potenzen und Wurzeln. Übungen nach Heis § 14—50. Geometrie nach Heis und Eschweiler Cap. V—VII. 4 St. Dr. Gies.

9. Naturkunde. Im Sommer Botanik, insbesondere Übungen im Bestimmen der Phanerogamen; im Winter die wirbellosen Thiere. 2 St. Dr. Gies.

**Untertertia.**

**Ordinarius:** Gymnasiallehrer Dr. Östermann.

1. Griechische Sprache. Xen. Anab. lib. II. Hom. Od. IX—X, 1—240. Grammatik nach Buttmann § 106—109 mit Auswahl und erweiternde Wiederholung von § 4—105. Exercitien nach Franke, 1. Cursus. 6 St. Dr. Östermann.

2. Lateinische Sprache. Caes. bell. Gall. III. IV. V, 1—14. Grammatik nach Siberti: Wiederholung der Formenlehre Cap. 7—69; Syntax Cap. 82—90. Exercitien nach Dietzen; Extemporalien und mündliche Uebersetzungen nach Dronke. 6 St. Dr. Östermann.

Ovid. met. III, 1—130; 511—733; IV, 416—562; V, 341—572; VI, 144—382; VIII, 133—545 nach der Auswahl von Nadermann. 2 St. Schmittdiel.

3. Deutsche Sprache. Lectüre und Erklärung von Gedichten aus Bach's Lesebuch. Die Lehre vom zusammengesetzten Satz. Aufsätze. Declamationsübungen. 3 St. Dr. Ostermann.

4. Französische Sprache. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen aus Seidenstücker's Elementarbuch 2. Cursus. 2 St. Bormann.

5. Religionslehre. a) kathol. Die Lehre von den Gnadenmitteln und den Geboten, nach Dubelman's Leitfaden 2. Theil. 2 St. Schmittdiel. b) evangel. combinirt mit Obertertia.

6. Geschichte. Geschichte des Mittelalters, mit besonderer Berücksichtigung des deutschen Volks, nach Büz. 2 St. Bormann.

7. Geographie. Physikalische Geographie der außereuropäischen Erdtheile. 2 St. Bormann.

8. Mathematik. Eigenschaften der Dreiecke, Parallelogramme und Trapeze mit Rücksicht auf die Seiten und Winkel; vom Kreise; vom Inhalt der Figuren, nach Heis und Eschweiler Cap. II—IV. Die Gesetze der ersten und zweiten Rechnungsstufe; das Radiziren; Uebungsbeispiele aus Heis Sammlung § 13—25; 60—52. 4 St. Dr. Löß.

9. Naturkunde. Uebungen im Bestimmen der Pflanzen nach Gies Flora. Anthropologie; Systematik der Wirbelthiere, nach Leunis Leitfaden 1. Hest. 2 St. Dr. Löß.

### Quarta.

Ordinarius: Gymnasiallehrer Gegenbaur.

1. Griechische Sprache. Wiederholung und Erweiterung des in Quinta Gelernten; die Lehre vom regelmäßigen Verbum, nach Buttman § 81—105. Uebersetzungen aus Jacob's Elementarbuch. Exercitien nach Dictaten. 5 St. Körber.

2. Lateinische Sprache. Corn. Nep. Miltiad., Themist., Aristid., Pausan., Cim., Lysand., Alcib., Epam., Pelop., Hamilc., Hann.; ausgewählte Fabeln aus Phädrus. Grammatik nach Siberti: Wiederholung der Formenlehre; das Wichtigste aus der Syntag von Cap. 82—90. Schriftliche und mündliche Uebersetzungen aus Dronke, Cap. 72—76. 9 St. Gegenbaur.

3. Deutsche Sprache. Lectüre nach Bach's Lesebuch; Erklärung und Auswendiglernen von Gedichten; Declamation; Aufsätze. 2 St. Gegenbaur.

4. Religionslehre. a) kathol. Die Glaubenslehre nach Dubelman 1. Theil. 2 St. Hahn. b) evangel. combinirt mit Tertia.

5. Geschichte. Geographie von Altgriechenland und Altitalien; griechische Geschichte bis zum Jahre 323 v. Chr.; römische Geschichte bis zum Jahre 31 v. Chr., nach Büz. 2 St. Gegenbaur.

6. Geographie. Wiederholung von Europa; die übrigen Erdtheile, nach dem von dem Lehrer herausgegebenen Leitfaden. 2 St. Gegenbaur.

7. Mathematik. Vorbegriffe der Geometrie; gerade Linien und Winkel; Parallelen und Convergenten; Winkelsummen von Dreiecken und Viielecken, nach Heis und Schmeiler Cap. 1. Decimalbrüche und Rechnungen des gemeinen Lebens, nach dem Leitfaden von Gies. 4 St. Dr. Voß.

8. Naturkunde. Beschreibung einzelner Pflanzen; botanische Terminologie. Allgemeine Uebersichten über das Thierreich, nach Leunis Leitfaden 1. Heft. 2 St. Dr. Voß.

### Quinta.

Ordinarius: Gymnasiallehrer Hahn.

1. Lateinische Sprache. Wiederholung des Pensums der Sexta; die unregelmäßigen Verba, die Adverbien, Präpositionen, Conjunctionen, nach Siberti; die nothwendigsten Regeln der Syntax, mündliche und schriftliche Übungen, nach Spieß 2. Abth. 9 St. Hahn.

2. Deutsche Sprache. Die Bildung des erweiterten und des zusammengesetzten Satzes; Übungen im Rechtschreiben. Schriftliche Arbeiten. Lesen und Declamiren von Stücken aus Bach's Lesebuch. 3 St. Hahn.

3. Religionslehre. a) cathol. Die biblische Geschichte des neuen Bundes, nach Barthel, nebst dem Glaubensbekenntnisse und der Lehre von den Sacramenten, nach dem Diöcesan-Katechismus. 2 St. Hahn. b) evangel. Die biblische Geschichte des alten Bundes, nach Zahn. Memoriren evangelischer Kirchenlieder. 2 St. Nollmann.

4. Geschichte. Biographien aus der mittlern und neuern Geschichte, nach Schwarz 2. Theil. 2 St. Donner.

5. Geographie. Wiederholung des Pensums der Sexta; Europa, nach Gegenbaur's Leitfaden. 2 St. Donner.

6. Arithmetik. Das Zahlensystem; Ableitung der vier Grundrechnungen; Factorenlehre; gemeine Brüche, nach dem Leitfaden von Gies. 4 St. Dr. Voß.

7. Naturkunde. Beschreibung und Vergleichung einzelner Glieder- und Bauchthiere. 2 St. Dr. Voß.

### Sexta.

Ordinarius: Gymnasiallehrer Schmittdiel.

1. Lateinische Sprache. Die Formenlehre, nach Siberti §. 1 — 48, mit Auswahl. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen aus Spieß 1. Abth. 8 St. Schmittdiel.

2. Deutsche Sprache. Wortlehre; die Lehre vom einfachen Satz. Schriftliche Übungen. Lesen und Declamiren nach Bach's Lesebuch. 2 St. Schmittdiel.

3. Religionslehre. a) kathol. Die biblische Geschichte des alten Bundes, nach Barthel, mit den entsprechenden Abschritten aus dem Katechismus. 2 St. Donner. b) evangel. combiniert mit Quinta.

4. Geschichte. Biographien aus der alten Geschichte nach Schwarz 1. Theil. 2 St. Donner.

5. Geographie. Allgemeine geographische Vorbegriffe; Uebersicht über die Oceane; allgemeine Beschreibung Europa's; Geographie von Deutschland, nach Gegenbaur's Leitfaden. 2 St. Donner.

6. Arithmetik. Bezeichnung der Zahlen; die vier Grundrechnungarten mit unbenannten und benannten Zahlen; Zerlegen der Zahlen in ihre einfachen Factoren, nach Gies Leitfaden. 4 St. Schmidts.

7. Naturkunde. Beschreibung einzelner Wirbelthiere, namentlich aus den Klassen der Säugethiere und Vögeln. 2 St. Dr. Voß.

## II. Fertigkeiten.

1. Gesang. a) Sexta. Erklärung der Notenschrift im Allgemeinen; dynamische und rhythmische Übungen im Besonderen. 1 St. b) Quinta. Bildung der Dur- und Molltonleitern, nebst ihren Dreiklängen. 1 St. In beiden Classen wurden Thorbecke's „theoretisch-praktische Gesanglehre“ und Erf und Greff's „Sängerhain“ 1. Heft dem Unterricht zum Grunde gelegt. c) Classis selecta und zwar: α] Chor der Männerstimmen, welcher aus 27 geübteren Schülern der drei oberen Classen bestand und schwierigere Gesänge, besonders Motetten und größere Chöre, einübt, und β] Gemischter Chor, zu welchem der Chor der Männerstimmen mit 29 geübteren Schülern der vier unteren Classen, welche den Alt und Sopran bildeten, vereinigt war. 2 St. Zur Einübung der für den katholischen Gymnasialgottesdienst bestimmten Choralmelodien des Gesangbuches von Dronke und Henkel wurde vom Anfange des Schuljahres an bis zu den Sommerferien und später nach Bedürfniß die für die Gesangübungen der Selecta bestimmte Nachmittagsstunde verwendet. Gesanglehrer Henkel.

